

ELEGIA 23

PANNONIÆ

GRAVISSIMA PESTI-  
LENTIA CONFLICTAN-

*tis ad cœtum Vngarorum VVite-  
berga viuentium.*

SCRIPTA A

DAVIDE SIGEMVNDO

CASSOVIENSI.



VVITEBERGÆ

EXCVDEBANT CLEMENS

Schleich & Antonius Schöne.

M. D. LXXVII.



*Epigramma eodem autore.*

ὡς γῆ φασγάνου κατὰ πνεῦμα κάλυψε,  
μητέρα παλινὴν τὸ σκότος ἀμφίβαλε.  
φῶς γὰρ ἅμ' ἐν σήθεισι ἀπώλεσε δαδάλουσι,  
τεχνῶν πείρας ὄχετο καὶ διδάχῶν.  
τῷ κείνῳ πρὶ ἀμφίχεται τάχα νύξ ἐρεβεννῆ,  
ἔγε τε πομονίῃς δακρυοῦντα μόρον.

Tiszántúli Református Egyházkerület  
Nagykönyvtára, Debrecen

RMK 404

WITTEBORN  
EXCUSDIBANT CLEMENS  
Biblioth. Anstalt  
LXXII



Anc tibi, nate, parens mittit de morte salutem,

Morte potest media si qua venire salus,  
Scribere fortuna, vellem, meliore liceret,

Materiæ ferres nobilioris opus:

Sed data caussa meis, non est electa, Camœnis,

Hei mihi, quod plus me fors inimica potest,

Vita mihi dubia est, inter vitamque necemque

Ambiguo vitam tramitelapsa traho,

Magna mei dudum sub terras iuit imago,

Vix leuis en restat nominis vmbra mei,

Omnia perdidimus vitam, famam, arma, triūphos,

Omnia, Dij quoniam sic voluere, iacent,

At memini quondam summis inuicta Monarchis,

Aemula Romanæ scœmina gentis eram.

Me Geta, me Dacus tremuère, acerque Boëmus,

Horruit & vires Austria tota meas.

Pallida, quam lata est, trepido Germania vultu,

Imperiij robur vidit opesque mei,

Nec fera sustinuit venientis Iberia vultum,

Se dedit in celerem protinus illa fugam.

A ij Aema

Aemathia fugere arces, & Norica saxa,  
Rhoetique, & latis Moesia sparsa iugis,  
Gallia, quid possim violentis sensit in armis,  
Martis & horrorem foeda secuta fuga est,  
Illyrici sensere duces, sensere Pelasgi,  
Totaque deletis Graecia militibus,  
Quaque nihil maius terrarum viderat orbe  
Aethere prospiciens Phoebus utrunque polum,  
Facta mihi supplex Romana potentia quondam  
Sponte dedit victas in mea iura manus,  
Nec gens aërias transgressa potentior Alpes,  
In Latium tantis viribus arma tulit,  
Tunc eversa meis pugnax Aquileia telis,  
Tunc aequata solo prisca Salona fuit,  
Tunc Antenoreae deletae funditus arces,  
Brixia tunc forti praecipitata manu est.  
Quaque rapax Athesis, quae Tarrus, & herbifer Umbro,  
Et celer undosis Mincius errat agris,  
Omnia sunt late saevius vastata ruinis,  
Omnia Mars ferro, Mulciber igne tulit.  
Quid referam Venetum victricibus agmina signis  
Pulsa? quid infamem lata per arua fugam?  
Testis adhuc extat fundata sub aequore moles,  
Editaque in medio tanta theatra salo,

Cum

Cùm fugerent actæ pauido terrore cohortes,  
Vixq̃ daret pulsis æquoris vnda locum,  
Tunc ego regnabam, nec toto fœmina mundo  
Nomine quæ claro me superaret, erat.  
Inuictas gentes tunc vinci posse docebam,  
Sæpe quibus solo nomine terror eram.  
At nunc illa mei celeberrima nominis, eheu,  
Gloria, pro vili, sub pedibusque iacet,  
Fœmina sum toto deformis & horrida mundo,  
Funeribus veterum semisepulta ducum,  
Omne iacet regale decus, vigor omnis abiuit,  
Imperij robur concidit omne mei,  
Flete meam sortem Reges, lugete Monarchæ,  
Sæpe tuli vobis, si meministis, opem,  
Sæpe mea vobis peperit virtute salutem,  
Sæpe meo est vobis sanguine parta quies,  
Non semel à vestris repuli ceruicibus enses,  
Obuiaq̃ infestos sum remorata Getas,  
Vos mihi debetis similem præstare laborem,  
Tempore fortunas attenuante meas,  
Turpè, tot annorum spacijs commune secutam  
Agmen, in extremis deseruisse malis,  
At tu præcipuè de tot mihi gentibus vna  
Auxiliatrices affer in arma manus,

Mec̃ tui Martis felicibus afferere telis,

Conſcia fortunæ Teutonici ora mex:

Illa ego ſum, pro te quæ tot violenta ſubiui

Prælia, funeſtas conſeruiq̃ manus,

Quæ caput obieci pro libertate tuorum,

Quæ tibi vicino murus in hoſte fui.

Tec̃ velut vallum non expugnabile texti,

A malè pacatis ne premerêre Getis.

Tu mihi vicini ſoror es in limine regni,

Quam debes, titulis redde duobus opem,

Vicinæ vicina, ſoror ſuccurre ſorori,

Instant officio nomina bina tuo.

Perge, quid, ah ceſſas? triſtis mora ſemper egenti eſt

Copia, ſi tardes, ſera futura tua eſt,

Nunc opus eſt armis, opus eſt nunc enſibus illis,

Tu quibus in circo ludicra bella geris:

Ecce fremunt, & tela ferunt infeſta Tyranni,

Mec̃ ſuis armis, & tua regna petunt.

Quid dubitas toto Turcis occurrere regno?

Auxilium præſens poſtulat hora tuum,

Te quibus oſtentas, nunc vtere grandibus haſtis,

Nunc gere pugnaci ſeria bella manu.

Sit tibi terrori viciniã tanta pericli,

Si mihi iam non vis ſurgere, ſurge tibi.

Quid

Quid loquor infelix? sine pondere verba loquētis 3  
In mare turbatis deuehit Ister aquis,  
Deseror, & toto terrarum nullus in orbe est,  
Qui velit extremis addere rebus opem:  
Surda suas aliò Germania dirigit aures,  
Non audit voces Itala terra meas,  
Vicini stertunt secura per oppida Reges,  
Vt quos à tergo nulla ruina premit.  
Solac̃ tantorum pertingit fama laborum:  
Leniter ad sensus auribus hausta fluunt.  
Quid faciam? qua spe nitari? quo lumina flectam?  
Vnde petam fessis perdita rebus opem?  
Iam propè centenos exegit Cynthius orbis,  
Purpureis toties signa remensus equis,  
Cum mea mutatis collapsa potentia fatis,  
Imperij cepit præcipitare decus:  
Quos ego iam casus, ex illo, & vulnera sensi?  
Damna quot aduerso tristitia Marte tuli?  
Quot mihi fumârunt hostilibus oppida flammis?  
Mœnia quot regni procubuêre mei?  
Cor pauet admonitu, frigusq̃ perambulat artus,  
Cum subeunt animis omnia fata meis,  
Seruiles acies sumtis, heu, vidimus armis  
Nuper, & agrestes rure coisse manus,  
Vidimus

Vidimus excisas imis è sedibus vrbes,  
Lata cadaueribus vidimus arua tegi,  
Testis erit Temesus, testis mihi Noricus Ister,  
Testis & Euxini nobilis vnda freti.  
Tota cruentatis stagnauit Dacia campis,  
Dacia magnorum strage sepulta Ducum,  
Et virides largo rubuerunt sanguine ripæ,  
Ipsaq; cum ripis flumina tota suis.  
Penè meis grauidæ requierunt cædibus vndæ,  
Funeribus plenas vix Samus egit aquas.  
Nate, quid in priscis legisti annalibus vnq;  
Asperius fatis flebilisq; meis?  
Romuleos olim vastauit milite fines  
Pœnus, & in Latios sustulit arma duces,  
Nomen adhuc extat memorandæ in secula cladis,  
Et grauis in fastis Allia nomen habet:  
Ille tamen victus fugit trieteride quinta,  
Et liquit fines, Ausonis ora, tuos,  
Me non dux vnus, non vnus Amilcare natus  
Agmine, vix annis quinq; decemq; premit;  
Sed iam mille suo mihi secula condidit ortu  
Phœbus, & innumeri præteriêre dies,  
Cum procul aërei prorumpens vertice montis,  
Vltima quæ Scythiæ terra sub axe iacet,

Acer



4  
Acer Hyperboreis è rupibus irruit hostis,

Et caput in nostrum tela cruenta tulit.

Quid mihi vobiscum est, gens ô sæuissima, Turcæ?

Cur tuus euerfam me cupit esse furor?

Deq; tot inuictis me mundi gentibus vnam

Niteris hostili dilacerare manu?

Cætera securè cur vndiq; regna quiescunt

Qua videt è cælo Phœbus vtrunq; fretum?

At, memini, nuper non tam prope castra locabas,

Et tibi vel solo nomine terror eram,

Cùm meus & terris te persequeretur & vndis

Vltor, & ante oculos mors foret atra tuos,

Vanaq; misceres imbelli prælia dextra,

Fortia Coruino bella gerente meo,

Tunc ego pugnabam, nec me felicior vsq;

Fœmina Thræicij nominis hostis erat,

Nunc agor infestis inimica per agmina telis,

Et mea me tanta mole ruina premit,

Tot premor ærumnis, tot casibus obruor vna,

Vt verti in lapidem me quoq; posse putem,

Qua merui culpa tam sæuam numinis iram?

Quæ coniurarunt in caputastra meum?

Num mea cœlestes temeravit dextera sedes?

Num mea vis templis insidiata fuit?

B

Anné

Annē ego diripui derisis pallia Diuis?  
An læsi spreta religione Deos?  
Num contra cœlum furialibus effera ceptis  
Sæua Giganteo prælia more tuli?  
Num volui demens humana in sorte, videri  
Sanguine magnorum nata virago Deūm?  
Meq̄ abiurata mortalis origine stirpis  
Transcripsi summo facta superba polo?  
Scilicet hæc sæuis admisi crimina factis,  
In superos tali prædita mentē fui,  
Dum procul Europæ populantem regna Tyrannū  
Persequor, inuicta sustineoq̄ manu,  
Terrarum gentes dum protego fortibus armis,  
Fidaq̄ pro mundi bella salute gero,  
Obiectuq̄ mei quasi corporis arma repello,  
Regibus, imperijs, arma minata necem,  
Totq̄ triumphatas animosis viribus vrbes  
Assero, depulsis eripioq̄ Getis,  
Deniq̄ tot vera pro religione labores  
Natio quot potuit nulla tulisse, fero.  
O vtinam si me tam tristia fata manebant,  
Tota graui dudum Marte sepulta forem,  
Vel mutata nouos traxissem marmore vultus,  
Solacq̄ restaret nominis vmbra mej:

Tot

5

Tot mala finissem letho, nec fata meorum,  
Nec quererer casus tempus in omne meos,  
Nunc clades de clade fluit, ceu lubricus annum  
Annus agit, lympham lymphæ, diemque dies,  
Perstat ad extremum, vitæque nouissima nostræ  
Persequitur fati, qui fuit antè, tenor.  
En noua me rursus fortuna gemiscere cogit,  
Fataque perpessis asperiora cadunt,  
Pannonias serpunt contagia dira per vrbes,  
Ferreus est, eheu, quem nihil ista mouent,  
Sæuit inaudito teterrima turbine pestis,  
Et populi passim, ceu leuis vmbra, cadunt.  
Morsque suos infert miseranda per oppida gressus  
Ciuiibus euacuans mœnia plena suis,  
Ante meos oculos natorum mille meorum  
Corpora crudeli tabe necata iacent,  
Totq̄ ego funeribus, tot mortibus vndiq̄ cingor,  
Vix possim clades vt numerare meas.  
Talis erat facies tibi tempore Græcia quodam,  
Cum spreta pœnas pro pietate dares,  
Lapsa per Aegyptum cum vasti à flumine Nili,  
Obrueret populos pestilis aura tuos,  
Talis & illa fuit diræ violentia cladis  
Languida quam prisco tempore Roma tulit.

Cùm facer Ausonias Epidauro vectus in oras  
Romulea serpens altus in arce stetit.  
Me miseram, quanta feruent mea viscera flamma,  
Vror, vt in medijs Trinacris Aethna iugis,  
Siue dies cœlo caput hoc miserabile cernit,  
Sidera seu pronò fessa Boote cadunt,  
Ante meos oculos horrendæ mortis imago,  
Ante meos oculos vltima fata iacent,  
Totq; mei passim, carissima pignora, nati,  
Extremum fati qui subière diem.  
E quibus ille decus materni nominis ingens  
Flebile crudeli funere nomen habet.  
FABRICIUS lætum prius & memorabile nomen  
Gentibus, Arctoa quas obit Ister aqua,  
At nunc infausto miserabile funere nomen  
Gentibus, Arctoa quas obit Ister aqua,  
Nate, parum faustæ pulcerrima gloria matris  
Tam citò solamen nate parentis vbi es?  
Quò mihi Parca ferox victricem mille laborum?  
Eripuit terris numinibusq; manum?  
Lingua vbi facunda est? vbi corpus? vbi inclyta  
Mens vbi, virtutũ nomina mille latent (virtus?  
Sic ne tuos potuit mors attenuare vigores?  
Sicne tibi potuit dira nocere lues?

Quan-

Quando erit vt rursum vicina per oppida Regum c

    Consimili mater prole beata ferar?

Omnia si fiant, nec me mea vota morentur,

    Fabricium reddent secula nulla meum.

Occidit ille semel, matremq; reliquit amatam,

    Mitte pijs mater manibus inferias.

Hoc lacrymis, hoc funus eget venerabile certe,

    Mitte pijs mater manibus inferias.

Natus obiit, vitamq; suam, matremq; reliquit,

    Mitte pijs mater manibus inferias.

Dum loquor, immitti crudescit fidere fatum,

    Auget & ærumnas tempus & hora meas,

Dira venenatis afflatibus aura nocentem

    Gentibus Austrino ducit ab orbe luem,

Visq; calorificos malè temperat humida ventos,

    Tecta repentina sidera nube latent.

Nescio quid diris portendunt nubila fatis:

    Me miseram, quàm me sors inimica manet.

Stat grauis anxietas, stat Pallida mortis imago,

    Materiam luctus angulus omnis habet,

Quòquò oculos, quocunq; pedum vestigia flecto,

    Flebilis ante oculos astat imago meos,

Inq; dies rerum violentior ingruit æstus:

    Imminet heu vitæ magna ruina meæ:

Iam color omnis abiit, macies in corpore toto est,  
Aspicias, matrem viuere, nate, neges,  
Non mihi peccandos cura est præbere capillos,  
Non libet aurata corpora veste tegi,  
Non viridi frontem iuuat exhilarare corona,  
Floridaq; ornatis ponere ferta comis,  
Tempus in ærumnis miserabilis exigo vitæ,  
Et patet in curas area lata meas.  
Quid mihi nunc prodest? terrarū nota per orbem,  
Clara quòd inuictò fœmina Marte fui.  
Sæuaq; prostrauit bellacibus agmina turmis,  
Inq; fugam victrix millia multa dedi,  
Cognita quòd non est maioribus vlla triumphis  
Natio, nec vera religione prior.  
Quòd pia cœlesti pro numine prælia feci,  
Quòd semper causa pro meliore steti,  
Num minus infelix fatalibus obruor armis?  
Num minus extrema perdita sorte gemo?  
Ite duces magni, miseramq; relinquite matrem,  
Occidat, & curas finiat illa suas.  
Non ego iam fatis vobiscum mollibus vltra  
Martia pugnaci milite castra sequar,  
Non victrice manu Mauortia pectora sternam,  
Non rapido fortes agmine Thracas agam.

Fecimus

Fecimus hæc quondam, dū res stetit integra regni, 7  
Partaq̃ bellando gloria dulcis erat,  
Tempora venerunt inimica prioribus annis,  
Viximus, exacto tempore fata vocant,  
Auriferi montes, gelidæq̃ in montibus vmbrae,  
Consciaq̃ extremi funeris ora, vale.  
Rura valete, valete amnes, syluæq̃, lacusq̃,  
Oppidaq̃, & fluuijs mœnia cincta suis,  
Cara vale tellus, quam tot per secula foui,  
Tuq̃, sed ô longo tempore, nate, vale.  
Este mei memores Reges, summiq̃ Monarchæ,  
Terrarum quotquot maximus orbis habet.  
Vos ego dum vixi, felici robore iuujs;  
Mox eadem, quæ me, vos quoq̃ fata trahent.

F I N I S.

